

N.F. 26

31.
30

PROGRAMMA
FESTO
PASCHATOS
IN ACADEMIA JULIA

ANNO M DC IIC.

P. P.
QVO DE
CEREO PASCHALI
agitur.



ae.

HELMESTADI,
TYPIS GEORG WOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.

PROGRAMA
OTSE
SOTAHOS
MINISTERIUM
ANNO M DC IIIC
B R
GAD DE
GERIO PASCHALI

HERMESTON
HISTORIE MUSICA HISTORIE LIBRARIE





ACADEMIÆ JVLIAE
PRORECTOR

JO. ANDR. Schmidt SS. Theol. D.
eiusdemq; & antiqq. eccles. Prof. publ.
& ordin.

CIVIBVS SVIS

S. P. D.

Uamvis ab initio , dum in persecutio-
nis æstu christianis ipsa solis luce , velut aqua
& igne, interdicebatur, dura necessitas eam il-
lis præscripserit legem , ut pernoctationes ad
lucernas instituerent , atque ante lucem con-
venirent ; (a) omnes tamen illæ noctes, et si lucidæ , cum
solenni paschatos vigilia, qua toto anno non erat splendidior
ulla , minime conferri poterant. Certatim enim fideles
confluebant ad preces, ad hymnos, lectionesque sacras , at-
que ad seram usque noctem in iisdem perseverabant; ex tra-
ditione forte apostolica , in die vigiliarum Paschæ ante no-
ctis dimidium populos dimittere non licere, expectantes
adventum Christi. (b) Ex quo vero ecclesiæ pax & quies
restituta fuit, ex quo illius nutritii, nomen Christi profiten-
tes, tenebras , quibus involuta videbatur , Dei nutu dispu-
lerunt, ita splendere cœpit nox ista, ut superiori tempore au-
roram duntaxat præluxisse , & nunc mage claram succes-
se diem dixeris. Constantinus M. , qui in ecclesia stabili-
enda , amplificanda , ornandaque omnem operam posuit,

A 2

sacram

(a) Plin. lib. 10. epist. 97.

(b) Hieronym. ad Matth. 25, 6.

sacram vigiliam in diurnum splendorem converterat, accensis tota urbe cereorum quibusdam columnis per eos, quibus id operis erat injunctum. Lampades quoque accessæ cuncta passim loca illustrabant, adeo ut hæc mystica vigilia quovis vel splendidissimo die splendidior redderetur. (a) Quod christiani hucusque in ecclesia solum fecerant, Constantinus etiam extra eandem fieri voluit, more in magnis civitatibus alias usitato, ut in præcipuis solennitatibus noctu lumina accenderentur in compitis. Hujus principis ad exemplum reliquus componebatur orbis, haud impari pompa festum illud deinceps celebraturus, publice id deprædicante Gregorio Nazianzeno: (b) *Præclara nobis fuit besterna splendoris luminumq; solennitas, quam privatim juxta publiceq; peregrimus, omne genus hominum ferme, atq; omnes magistratu & dignitate insignes, copioso igne noctem collufrantes;* atque huic consentiente Gregorio altero, Nyssæ in confinio Cappadociæ urbis episcopo: (c) *Hæc lucida nox, commixta lampadum luminibus cum matutinis radiis solis, unum continuum nullarum inter positione tenebrarum diremtum diem effecit.* Vel si Prudentium, poetam christianum, audire malumus, eleganter illum paschales ceremonias, de quibus loquimur, descriptisse comprehendemus: (d)

*Pendent mobilibus lumina funibus
quæ subfixa micant per laquearia:
& de languidolis fota natalibus
lucem perspicuo flamma jacit vitro.
Credas stelligeram desuper aream
ornatam geminis stare trionibus
& qua bosforeum temo regit jugum
passim purpureos spargier Hesperos.*

Adeo

- (a) Euseb. de vit. Const. lib. 4. cap. 22, p. m. 536.
- (b) Orat. 42. quæ est secunda in pascha p. m. 676. D.
- (c) orat. paschal. quarta.
- (d) hymn. ad incensum lucernæ vers. 141. seqq.

Adeo quod primis temporibus fuit necessitatis, postea facultate concessa ecclesiæ, sacra sua liberius celebrandi, res omnis in eam abiit magnificentiam, an devotionem?

Tam splendida autem nox *cereo paschali*, qui in ecclesia Latina quotannis in festi hujus vigilia consecrari solet, originem occasionemque dedisse putatur Chemnitio (a) & Hildebrando; (b) licet Gretserus (c) cereum istum non duntaxat ad tempora illa, sed ad vigilias usque christiano-rum, primis jam seculis noctu convenientium, reducere malit. Damus quidem illi hoc, usum cereorum seu candelarum seu lampadum accensarum jam tum extitisse, quia neque olim christiani vigiliis insistentes in tenebris sessitabant, sed noctis caliginem facibus funeralibusque superare contendebant. Præter hunc vero usum paschalis cereus commune nihil habet cum illis, utpote non consecratis & publice privatimque accensis, in templis æque ac in compitis. Circumspecte magis scripsit Henr. Valesius, (d) columnas illas cereas, quas à Constantino positas memorat Eusebius, *cereum paschalem optime designare*, quem in vigilia paschali accendere solent, & de quo nos ipsi infra dicimus, columnis quoque eum fuisse impositum. Primam potius originem, primamque occasionem non solius cerei, verum & benedictionis circa illum usitatæ, definire velle, uti admodum difficile est, sic neminem id præstitusse scimus. Quicquid enim testimoniorū ex sequentis ævi scriptoribus producitur, magis rem jam extitisse, quam tum demum cœpisse probat; quemadmodum & alterum, non ubivis statim illum obtinuisse morem consecrandi cereum & lucernas, dissertationis hujus progressus monstrabit.

An autem *Prudentio* cereus iste in peculiari hymno laudatus sit, ut Baronius (e) contendit & cum eo Gretserus (f) atque alii, neque inscriptio hymni, quæ in exemplari-

A 3 *Exe. sup. 71. Odib. bus*

(a) Exam. C. T. part. 4. p. m. 152. (b) de sacris publ. eccl. prim. tit. de vigiliis.

(c) lib. 1. de festis cap. 25. p. 195. (d) in not. ad Euseb. lib. 4. de vit. Const. c. 22. p. 243.

(e) ad A. C. 418. n. 76. (f) loc. cit. p. 195.

bus nonnullis *de cereo paschali* legitur , nec cārmen ipsum
nobis persuadere potest. Præterquam enim , quod tituli
sermonum , homiliarum atque hymnorum ab aliena manu
adjecti s̄æpe minus convenienter , ut in Augustini , Maximi
Taurinensis aliorumque sermonibus cuivis , rubrum nigro
attente conferenti , observare licebit ; certe plura exempla-
ria legunt *ad incensum lucernæ* , quam cerei paschalis , notan-
te Weizio , qui in octo manuscriptis non aliud invenit ti-
tulum , neque in editionibus variis . si Fabritii atque Sichardi
excipias . Eandem quoque lectionem suadet ordo hymno-
rum , quo illos *ad gallicinum , ad matutinum , ante cibum , post*
cibum , justo ordine excipiunt hymni *ad incensum lucernæ*
& *ante somnum* . Atque ex his hymnis , tanquam opere
potiori & primo loco posito , sive à Prudentio sive alio quo-
vis , denominatum fuisse puto totum librum *Cathemerinon* ,
hoc est , quotidianorum seu diurnorum ; quamvis solenni-
bus festis , quæ toto anno se offerunt , certos etiam devo-
verit hymnos . Si porro carmen ipsum relego , si metho-
dum in reliquis ab autore observatam perpendo , hoc agit ,
ut ad acensionem lucernæ animum ad veram extollat lu-
cem . Hunc in finem sibi sistit Deum spinifera in rubo
lumine conspicuo flammeum , & radium sole micantorem ,
qui populum olim Israelis noctis per medium ducebat : me-
ditatur beneficia eidem in deserto tam varie exhibita , &
eandem numinis unici pietatem agnoscit , *cujus subsidio nos*
quog vescimur , pascentes dapibus pectora mysticis . Delabi-
tur tandem ad illam noctem , *sacer qua rediit Deus stagnis*
ad superos ex Acheronticis : non sicut tenebras de face fulgi-
da , surgens oceano Lucifer imbuit , sed terris domini de cruce
tristibus major sole novum restituens diem ; & post descri-
ppta christianorum officia , quæ illa nocte suscipi solent , ad
veram ascendit lucem Christum , atque in eo finem impo-
nit hymno . Neque exinde , quod Prudentium vigilias
paschales



paschales sub hymni finem respicere dicimus, quicquam
lucrabitur Gretserus, qui sequentia ad cereum paschalem
absque dubio alludere putat : *Lumen quod famulans offero,
fuscipe tintum pacifici chrismatis unguine*; cum Victor. Gi-
selinus, (a) per hæc verba, ex loco apud Prudentium simili,
(b) debere intelligijam dudum notaverit illud lumen æternæ
spei, non succulentis influens obtutibus, nec corporales per
fenestras emicans, puris sed intus quod relucet mentibus.
Quale autem lumen intendit Prudentius, tale quoq; chrisma
illi additum voluit, spirituale nimirum, ab igne Spiritus
S. accensum & gratiose tinctum, quod Deo acceptum maxi-
me esse novimus.

Cum ergo manifestum esse videatur Prudentium non
laudasse peculiari hymno cereum paschalem, ad alios se-
quentium temporum Doctores tendimus, visuri, quid veri
falsive de cereo isthoc nobis reliquerint. Officii divini scrip-
tores Alcuinus (c), Amalarius (d), Rabanus Maurus (e),
Micrologus (f), Rupertus Tuitiensis (g). Durandus (h), &
alii Zosimum Pontificem Rom. instituti hujus autorem
faciunt. Sed recte observarunt Baronius (i) & Gretserus (k)
cum aliis, quod ante a Walafrido Strabone (l), Anastasio
bibliothecario (m) & Sigeberto (n) notatum legimus, non
instituisse Zosimum vel cereum vel ritum ipsius, sed tan-
tum ecclesiis parochialibus consecrandi quoque cerei pa-
schalis potestatem fecisse, cum antea in majoribus dun-
taxat basilicis consecrari & accendi soleret. Ex eodem
capite judicandum erit minime convenire, quæ in Gem-
ma animæ & Durando legimus, cereum benedici,
Zosimum

- (a) in notis edit. Weizianæ infertis p. 433. (b) hymn. XIV. peristephanon
vers. 432. seqq. (c) lib. de div. off. in sabbat. sanct. Paschæ p. m. 256.
edit. Paris. per Melch. Hittorpium curatæ ann. 1610. (d) de eccles off.
lib. 1. cap. 18. p. 341. (e) de institut. cleric. lib. 2. cap. 38. p. 605. (f) de
eccles. observ. cap. 53. p. 762. (g) de div. off. lib. 6. cap. 27. pag. 970.
(h) in rational. div. off. lib. 6. cap. 80. folm. CXCVII. (i) ann. Chr. 480.
(k) loc. cit. p. 196. (l) libr. de reb. eccles. cap. 50. pag. m. 694.
(m) ad ann. 417, (n) de antiq. ritu miss. lib. 3. c. 102.

Zosimum constituisse, *Ambrosium* episcopum vero benedictionem composuisse. Inter opera *Hieronymi* (a) refertur epistola ad Præsidium de cereo paschali, ut inscriptio habet, in qua rogatus de cereo commentari quædam debebat, nisi maluisset rem omnem ad colloquium differre, ut si quid forte nesciret, in alterius aure moreretur. Fucum alicui hæc epistola facere posset, nisi Erasmus in censura illius nos monuisset, non esse hanc epistolam unius hominis, & eum, qui priorem scripsit partem, æmulatum fuisse divi Hieronymi stylum, ut qui ex hujus epistolis ad Heliodorum ac ceteros, sententias quasdam ac verba sublegerit, hominem, sicut appetat, nec ineruditum, nec infantem. In missali Gothicò vetustissimo, quod tomus sextus bibliothecæ Patrum exhibit (b), habetur *benedictio cerei Beati Augustini Episcopi*, quam abduc *Diaconus cum esset*, edidit & curavit. Sed præter id, quod pauci forte ausi fuerint dicere Hippoensem hoc loco intelligi Augustinum, cum & alios episcopos seculo sexto fuisse Augustinos sciamus, Nebiensem nimirum & Augustodonensem; Hippoensis ille statim, reluctans licet & lacrymans, à Valerio episcopo, laicus adhuc fuit ordinatus presbyter, ut adeo Diaconi officium nunquam exercuerit, quemadmodum ex Posidonio vitæ Augustinianæ scriptore discimus. Ad *Theodorum* I. episcopum Romanum, qui cerei originem referre volunt, ægre id faciunt, neque in eo sibi satis constare videntur. Illo ergo omisso, Concilii Toletani quarti, seculo septimo habitu, canon octavus se nobis offert: *Lucerna & cereus infravigilias, apud quasdam ecclesias non benedicitur, & a nobis cur benedicatur, inquirunt.* — *Et quia hæc observatio per multarum loca terrarum, regionesque Hispaniæ, in ecclesiis commendatur, dir*
gnum

(a) Tom. 2. fol. 168. edit. Basili. 1516.

(b) edit. Paris. 1610. p. 214. seq.

gnum est propter unitatem pacis , ut in Galæcianis ecclesiis conservetur. Sed neque hic nobis quicquam de prima tradit origine , potius confirmat quæ super monuimus , non ubivis multo tempore obtinuisse morem illum , etsi Zosimus voluerit cercum etiam in ecclesiis parochialibus consecrari ; quemadmodum & alterum nunc constare posse putamus , primam cerei benedicendi occasionem determinare difficile admodum esse , cum testimonia vel illorum temporum non sint , vel non intendant quod probandum erat , vel moris saltem ampliationem indicent.

Quocunq; tandem tempore cœperit mos iste , nobis erit perinde , qui solliciti nunc summus de cerei ipsius consecratione , quam magno apparatu primis temporibus non fuisse factam , sed sensim eundo ceremoniarum multitudine crevisse arbitror. Rem omnem enarrabo , prout eam officiorum divinorum scriptores ante laudati tradunt , sive ubivis observatam sive minus. Postquam cereus benedicendus , ex candida cera paratus fuit , excutitur ignis de lapide foris ecclesiam , vel ex chrystallo soli objecta elicetur , & ex eo accenduntur carbones. Ante Zachariæ Papæ tempora vero , Romæ novus ignis ex lampadibus servatis in feria quinta sumebatur (a). Sacerdos facta processione de sacrario , ante portam ecclesiæ , si commode potest , vel in ipso aditu ecclesiæ benedicit novum ignem & quinque grana incensi ponenda in cereo ; quod in ecclesia Laudunensi fit in domo episcopali. Tum diaconus accipit arundinem cum tribus candelis in summitate illius triangulo distinctis , quarum una post alteram diversis vicibus , in ingressu , in medio ecclesiæ , & ante altare acceditur . Dein illuminantur ex eodem lumine septem lampades ante altare , quæ tamen prius sine lumine erant , ita compo-

B

fitæ,

(a) Baron. ad ann. 751. Macer. hierolex. p. m. 141. Gayant. in thesaur. sacr. rit.
Tom. I. part. 4. tit. 9. p. 240.

sitæ, ut absque ullo impedimento possint accendi. Cereus vero magnus, qui benedicendus est, ponitur in candelabro ante altare in medio ecclesiæ, congregato hinc inde omni clero seu populo. Veniens post hæc archidiaconus facit crucem in eo & illuminat illum de novo igne & benedictionem ejus absolvit, quam ideo necessariam esse putat Durandus, quoniam cereus ex simplici sua natura absque benedictione non potest transire ad significationem mysterii columnæ ignis. Cereo benedicto illico illuminantur ab eodem in duobus candelabris alii duo cerei, statu ram hominis habentes, ad latera majoris collocandi; imo cetera ecclesiæ luminaria ex igne majoris cerei accenduntur, similiter & in omni domo, quia omnis ignis anterior, qui tunc ardebat, extingui debet. Benedictioni cerei finis imponitur sequenti formula: (a) *Precamur ergo te domine, ut nos famulos tuos, omnem clerum & devotissimum populum, una cum beatissimo Papa nostro N. & gloriosissimo rege nostro N. ejusq; nobilissima conjugi N. nec non & antistite nostro in his paschalibus gaudiis conservare digneris.* Si Imperator nondum est coronatus, ei additur electi titulus. Cum vero Imperator vita functus erat, mutantur illa verba hunc in modum: *Respice etiam ad Romanum imperium, cuius tu Deus fidelium vota prænoscens &c.* ut anno 1519. & 1658. observatum fuisse scribit Dominicus Macer. (b) In his autem recensendis plerumque secutus sum ordinem Romanum, ne habuerim necessum ex Gavanto aliisque plures notare ceremonias. (c)

Ipsa benedictionis forma vulgo, ut supra diximus, adscribitur S. Ambrosio, cuius principium quidem iisdem prorsus verbis præscriptum est ac Romanum, sed reli-

quus

(a) qnæ in Ordine Romano observatur p. m. 79. (b) loc. cit. pag. m. 142.

(c) quas cum circa ignem benedicendum, tum cereum ipsum videre licet, passim in agendis ex gr. ecclesiæ Moguntineus. p. m. 268. seqq. Trevirensis p. m. 116. seqq. Wurzburgensis p. m. CLXXXII. seqq.

quus textus longe diffidet. Præter illam Augustino adscriptam, in ordine Romano aliquot benedicendi formulæ observantur, quales etiam in diaconatu suo duas habuit Ennodius. (a) Varie enim hæc benedictio a quolibet diacono componebatur. (b) Et licet illa alias inter benedictiones sacerdotales numeretur, nihil tamen obstat, quo minus à diacono, sacris induito vestibus, expleri queat & debeat etiam præsente sacerdote vel episcopo, sed ita ut is à sacerdote benedictionem palam & publice deposcat. Diaconum autem vere & constitutive benedicere, ut loquitur Dominicus Macer, probat idem tum ex illis verbis: *Vere dignum & justum est &c.* tum etiam ex titulo alicujus missalis, nempe *consecratio cerei*; cui suffragari videntur varii ordines ecclesiastici & officiorum divinorum scriptores, qui actionem illam benedictionis nomine appellant.

Candelabrum, cui imponebatur cereus iste, in multis ecclesiis erat lapideum vel ligneum in forma columnæ, cuiusmodi candelabra in antiquis Galliæ ecclesiis visuntur & hoc quoque ævo in Laudunensi (c) cerni solent. Romæ etiam talia observavit Macer, ut in S. Paulo extra muros, ubi columnæ est, quæ inserviebat pro cereo: hodie extra hujus ecclesiæ portam ex parte tribunæ crucem sustentans erecta, perspicitur, in cujus basi hi versus leguntur:

*Arbor poma gerit, arbor ego lumina gesto,
Porto libamina, nuntio gaudia; sed in die festo
Surrexit Christus: nam talia lumina præsto.*

Præter grana incensi quinque per modum crucis cereo impressa, etiam solet Deiparæ virginis imago in medio hujusmodi columnæ collocari, ac subtus virginis imaginem schedula quædam, tabula paschalis vulgo nuncupata, sacris

B 2 inscri-

(a) opusc. 9. & 10. (b) Conf. agend. var. supra citat. (c) vid. obseruat. ad ritus eccl. Laudunens. redivivos pag. 824.

inscriptionibus exornata. Veteres enim christiani in appensa ad cereum tabella annum currentem creationis orbis & incarnationis notabant; (a) hodieque Cistercienses annum in carnationis, epactas & indictionem in ea consignant. In ecclesia Laudunensi olim post assignatam indictionem Rom., primus locus tribuebatur anno à creatione mundi : secundus anno Christi : tertius literæ domicali : quartus numero aureo : quintus epactæ : sextus anno foundationis ecclesiæ : septimus Pontifici, proprio Antistiti & Regi christianissimo. Quæ alia titulo huic sive tabellæ paschali inscripta quondam fuerint, videri possunt apud Carol. du Fresne in glossario (b).

Quamdiu cereus iste accensus durare debeat, à scriptoribus eodem modo determinatum non legimus. Ex ordine Romano id duntaxat colligimus, quod per octavam paschatos accensus fuerit. In annalibus Fratrum Minorum, referente Macro, anno 1263. decretum fuit hanc accensionem in missis saltem solennibus, usque ad ascensionem continuari debere. Tandem Sacr. Rit. congregatio 1607. accendi eundem stabilivit in tribus Paschæ diebus, in sabbato in albis, & in omnibus dominicis, missa cantata, vesperisque durantibus, & ad libitum secundum regionum usum. Romæ per totam Paschatos octavam acceditur (cum sit ejusdem festi continuatio) ac in omnibus dominicis (quæ resurrectionis repetitiones sunt) usque ad ascensionem, quod fit incipiendo à sabbatis vesperis & extinguitur in fine evangelii diei ascensionis. In ecclesia vero Turonensi à sabbato sancto remanet continuo accensus usque ad secundas paschales vesperas, & in aliis diebus, matutini, missæ & vesperarum tantum tempore ardet, atque ideo ibi ingens cereus ac durabilis formatur.

Quic.

(a) conf. Bedam libr. de temporum ratione cap. 45.

(b) med. & infim. latin. tom. I. p. 936.

Quicquid sub finem anni residuum est, cum cera virgine & oleo benedicto miscetur, ut inde *agnos Dei* conficiant.

Mystica hæc omnia esse & altioris indaginis volunt ad unum omnes, qui de officiis divinis scripserunt. In genere quidem Concilium Toletanum IV. supra citatum in resurrectione Christi mysterium quærit: *Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum, hoc soleniter benedicimus, ut sacræ resurrectionis Christi mysterium, quod tempore hujus noctis votive advenit, benedictione sanctificati luminis incipiamus.* Sed nominati jam scriptores ad minima quæque, in benedictionis actu occurentia, descendunt. His enim significat cereus Christum resurgentem; & quidem cera corpus, ellychnium animam, lumen deitatem: antequam vero illuminetur representat columnam nubis, illuminatus autem columnam ignis, quæ precedit catechumenos hodie transfeuntes per mare baptismi. Crucis figura in cereo solet inscribi, ut Christum demonstret crucifixum, & grana quinque incensi, forma crucis in eo confixa, idem sonant & plagas ejus quinque. Sicut tres illæ candelæ inclinantur versus cereum, & hic cum una tantum ex iis accenditur; ita resurrectio Christi est effectus quidem totius Trinitatis, sed potissimum verbi, quod animam carni rursus univit & immortalitatis gloria luce vestivit. Accenduntur duo cerei minores & lampades vel a cereo ipso vel à candelis arundinis, ut sicuti cereus significat novam gratiam & doctrinam Christi; ita ab eodem oriri demonstretur tum gratia tum doctrina apostolorum, qui sunt lux mundi. Et Christus ipse post resurrectionem statim accedit in apostolis ignem Spiritus S., quando insufflavit & dixit: *Accipite Spiritum S.* Fit denique benedictio per diaconum, inferioris gradus ministrum, quia per inferiorem sexum, mulieres nim-

rum, dominicæ resurrectionis miraculum, viris non quibuslibet, sed ipsis apostolis annunciatum est. Prolixum omnino foret, si omnia ex rationali Durandi pleraque mystice explicantis, Ruperti abbatis Tuitiensis libro sexto de divinis officiis, aliorumque scriptis adducere vellem. Ex eo scil. tempore, quo cultus Dei externus per varia symbola tractari cœpit, ecclesiarum præsides sœpe ex devotione, sœpe peculiari quodam casu moti, ceremonias certas precesque addiderunt, quas illorum successores velut legem quandam ad posteros transmiserunt (a), cum tantis nonnunquam accessionibus, ut his intenti cultui interno non omnes æque pares esse possint.

Cum hoc more ecclesiæ Latinæ confundi non debet ecclesiæ Græcæ, præcipue Hierosolymitanæ, consuetudo fraudulenta, quæ sabbato magno in sepulchro Christi observatur. Jaçtitat nimirum Patriarcha cum clero suo, per miraculum hoc die cœlitus descendere ignem in monumentum. Ex eo Patriarcha primus accedit cereum suum & lampades in crypta suspensas, feria V. extinetas, dein prorumpit in templum & credulo omni populo facultatem concedit accendendi cereos. Meram autem fraudem esse observarunt dudum Turcæ, Judæi, aliquique ex christianis, lusus hosce intuentes (b).

Nostræ ecclesiæ reformatoribus placuit ex gravibus causis, eandem ad primitivæ ecclesiæ infantiam reducere in doctrina & ritibus, utinam etiam moribus sanctis. Intanta igitur rituum simplicitate caremus utique etiam creo paſchali ejusque benedictione. Sed remota figura rem, sublata umbra corpus ipsum nobis fuisse relictum, nemo

non

(a) Socrat. H. E. lib. 5. cap. 22. p. m. 288. C.

(b) Vid. Leo Allat. epist. de quorundam Græcorum opinionibus §. 30. & Ferdinand. de Troilo, Eques sancti sepulchri in orient. Itinerario p. 234. seqq.

non agnoscet. Christus enim , primus & novissimus ,
qui vivit in secula seculorum , lux illa vera est , quæ
illuminat omnem hominem venientem in mundum. Lux est , &
quia ab errore liberat & quia discutit spirituales tenebras. Lux
est , quia seipsum notum reddit ac Patrem , & scientia omni
corda suscipientiū se illustravit. Lux illa apostolos accedit ,
ut essent lumen totius mundi & lucem administrarent cre-
dentibus , & eorum corda illuminarent cœlesti lumine spi-
ritus , quo & ipsi erant illuminati. Eadem illa lux u-
num quemvis nostrum illustravit in baptismo , φωτισμα-
τῷ μυστηρίῳ , illuminationis sacramento , per quod sanctam
illam & salutarem lucem intuemur , hoc est , per quod id ,
quod est divinum perspicimus (a). Cum ergo in evan-
gelica hac luce versemur , dignum utique erit , ut in luce
quoque ambulemus. Necesse namque est , scribit Chrysostomus noster , (b) eum , qui fidei lucem receperit , ad opera quoque
lucis progredi. Neque vero lucem tantum esse oportet fidelis
animam , sed & per opera coram hominibus lucere. Luceat
enim , inquit salvator , lux vestra coram hominibus. Qua-
lis lux ? Ut videant bona opera vestra &c. Ac vide rem
mirabilem ? Lux quidem a Deo procedens simplex est , sed
radios habet differentes , non natura sed operationibus. Unus
est splendor , sed veniens ad nos , multos splendores efficit
splendorem eleemosynæ , splendorem castitatis , splendorem
hospitalitatis , splendorem fraterni amoris. Ista recte perpen-
dentes , solenne hoc resurrectionis festum non modo de-
bita reverenta celebrabis , sed omnes quoque vitæ vestræ
dies , ut homines christianos , & hos inter præcipue stu-
diosos , decet , non in tenebris sed luce transfigetis. Ut
vero seria & sincera mente ea vivatis ratione , Gregorii Na-
zianzeni (c) verbis vos omnes , mihi charissimos cives ,
adhor-

(a) Clem. Alex. Padag. lrb. 1. cap. 26.


(b) homil. CXVII. tom. 5. p. 762.

(c) orat. IV. quæ est secunda aduersus Julianum p. m. 129. C. D.

adhortor, iisdemq; præsentem obsigno discursum: Primum
quidem, Fratres, festum celebremus, non corporis nitore, non
vestitus mutatione ac magnificantia, non commensationibus &
ebrietatibus, quarum fructum cubilia & impudicitias esse di-
dicisti: nec floribus vicos cingamus, nec ungentorum turpi-
tudine mensas & vestibula ornemus: nec visibili lumine splen-
descant domus, nec tibicinum cantu plausibusque personent:
hoc enim more gentiles novæ Lunæ festum celebrant. At nos
ne committamus, ut abhunc modum Deum honoremus, ac præ-
sens tempus iis rebus, quæ minime decent, extollamus: ve-
rum animi puritate & mentis hilaritate & lucernis totum ec-
clesiæ corpus illustrantibus, hoc est, divinis contemplationi-
bus & cogitationibus quæ super sanctum candelabrum exci-
tentur, atque universum terrarum orbem luce perfundant.
Parva meo quidem judicio, si cum hoc lumine comparentur,
ea omnia lumina sunt, quæ homines, qui festos dies agunt,
privatum publicaque accendunt. Valete. P. P.
ipso Paschatos Festo clc Ioc XCVIII.







Da. 952. 6

Da. 952.



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

AMMA
TO
ATOS
IIA JULIA
DC IIC.
P.
DE
ASCHALI
AD I,
HAMMII, ACAD. TYPOGR.

31.
32.